



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CLIII. De Degradatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

est notorium, manifestum, vel famosum. *Mastr. dict. disp. 13. num. 183.*

12. *Quar.* Quando, & quomodo delictum censendum sit notorium, manifestum, & famosum? *Resp.* Notorium censi illud, quod est notum vel confessione Rei in iudicio; vel sententia Iudicis lata, vel evidentia facti cogniti à maiori parte viciniae. *Manifestum* dicitur, de quo est fama in maiori parte viciniae orta à scientibus illud. *Famosum* vocatur, quando de eo est fama in maiori parte viciniae, non tamen ex certa scientia; sed ex indiciis, & praesumptionibus. Ita Hurtadus de Irregul. diff. 20. & alii apud Mastrium *dict. num. 183.*

13. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate contracta ex homicidio occulto, non voluntario, sed casuali? *Resp.* Affirmative, quia Concilium Tridentinum excipit illam provenientem ex solo homicidio voluntario. Mastrius, alios Theologos allegans *dict. disp. 13. num. 184.* ubi subiungit, quod poterit etiam dispensare in homicidio, in quo non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, quando factum fuit ad defensionem propriæ vitæ, quia non est voluntarium.

14. *Quar.* Quando delictum, ex quo oritur Irregularitas, deductum est ad forum contentiosum, sed reus fuit absolutus ex defectu probationum, an in hoc casu Episcopus possit cum eo dispensare? *Resp.* Affirmative, quia quando est à Iudice dimissus absque condemnatione, idem est, ac si non fuisset vocatus ad iudicium. DD. apud Mastrium *ibidem dict. num. 184.* Quod si fuisset condemnatus, tunc Episcopus non posset amplius dispensare; quia delictum factum est publicum. Mastrius *ibidem num. 185.* ubi refutat Sanchez, & alios contrarium opinantes.

15. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate proveniente ob mutilationem occultam alicujus membri? *Resp.* Affirmative; quia Concil. Trident. prohibet tantum illam, quæ nascitur ex homicidio voluntario etiam occulto. Et ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium, notat Mastrius *ibi num. 186.*

16. *Quar.* An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos ab irregularitatibus quibuscunque? *Resp.* Affirmative, dummodo proveniant ex delictis; & hoc ob Privilegia Clem. IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. Mastrius ubi supra *dict. num. 186.* Sed videtur intelligendus, exceptis irregularitatibus ortis ex homicidio voluntario, ex mutilatione membrorum, & ex Bigamia, ut disputando concludit Lezana in Summa tom. 1. cap. 18. num. 4. & tom. 3. verb. Abortus num. 14. & verb. Irregularitas num. 72. Quamvis contrarium doceat Bordonus part. 1. resol. 13. num. 15. ubi defendit, Prælatos Regulares, virtute Privilegiorum posse absolvere etiam ab irregularitate ob homicidium voluntarium injustum, si sit occultum; & ob casuale, quamvis sit publicum. Sed Bordonus non adhaeret in Decisionibus meis de Pœnitentia *Decis. 46. num. 15.* ubi Studiosum remitto.

17. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate, orta ex hæresi occulta? *Resp.* Negative, quia ubi Episcopus non potest absolvere, ibi multo minus potest dispensare. *cap. Cum illorum. De Sentent. Excommunicat.* Sed per Bullam in Cœna Domini prohibitum est Episcopis absolvere ab hæresi quamvis occulta; ut est securior opinio DD. quo cumulat Barbosa ad Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. num. 52. Et ego dixi de Pœnit. *decis. 45. num. 6.*

18. *Quar.* An Episcopus dispensare possit super irregularitatibus provenientibus ex defectu? *Resp.* Quod Episcopus dispensat tantummodo in irregularitate ob defectum naturalium ad ordines minores, & beneficium simplex. *cap. 1. De Filiis Presbyter. in 6.* Item in illa ex Bigamia similitudinaria tantum etiam pro Sacris Ordinibus, ex *cap. Sanè. De Clericis conjug. & cap. 1. Qui Clerici, vel vocantes.* At ex Bigamia vera, atque interpretativa solus Papa potest dispensare, prout in omnibus aliis irregularitatibus provenientibus ex defectibus animæ, corporis, ætatis, lenitatis, & infamiae; ut dissert Mastrius *dict. disp. 13. à num. 188. usque in finem.* Est tamen verum, quod in defectibus corporis, vel scientiæ Episcopus potest arbitrari; & quando defectus non sit nimis, declarare valet, cum non obstare, & sic tacite dispensando, habet jus promovendi defectuosum ad ordines, seu beneficia simplicia. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 6. de Sacrament. Ordinis. num. 228. & tom. 2. lib. 9. tit. 1. de Dispensationibus num. 201.

19. *Quar.* An Confessarii Regulares possint dispensare super Irregularitatibus contractis à suis pœnitentibus? *Resp.* Affirmative virtute suorum Privilegiorum. DD. à me allegati de Pœnitentia *Decis. 46. num. 20.* dummodo delicta sint occulta, & exceptis homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & Bigamia, ut ibi; sed pro foro conscientiae tantum.

CAPUT CLIII.

De Depositione, seu Degradatione.

1. *Quar.* Quid sit Depositio, seu Degradatio? *Resp.* Est perpetua remotio ab Ordinibus, vel Altaris Ministerio. Et differt à censuris, & irregularitate; quia sunt omnes temporales, & terminant per abolitionem, vel dispensationem; hæc autem est perpetua, Diaz in Pract. cap. 43. Barbosa de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 110. num. 1.

2. *Quar.* Quotuplex sit depositio, seu degradatio? *Resp.* Est duplex, Verbalis, & Actualis. Scaccia de Iudiciis lib. 1. cap. 11. §. 71. Verbalis est illa, quæ ore tenus profertur contra Clericum, removendo ipsum ab Altaris ministerio; & hæc proprie dicitur depositio. *cap. Sacerdos. 81. dist. cap. 2. de Pœnit. in 6. Clarus in §. fin. quasit. 74.* Et per eam non amittitur privilegium canonis, vel fori. Barbosa

sa dict. alleg. 110. num. 3. Actualis, five realis est illa, quando ultra sententiam depositionis ob enormes excessus, five ob incorrigibilitatem; clericus personaliter privatur, exautoratur, exiuit, & spoliatur Ordinibus Ecclesiasticis per detractationem clericalium insignium, & abrado capite, & manibus traditur Judici seculari puniendus, cap. Felix. 5. quast. 7. cap. Non potest, de re iudic. cap. Cum non ab homine. de iudic. cap. Degradatio, de Pœnis lib. 6. & Concil. Trident. sess. 13. de Reform. cap. 4.

3. Quar. An Clericus degradatus actualiter amittat characterem, & potestatem Ordinis? Resp. Negative; ideo si esset Sacerdos, & consecraret cum debita materia, & intentione validè consecraret, Barbosa dict. allegat. 110. num. 5. & seqq.

4. Quar. An opus sit degradatione actuali, si Clericus tradendus Curie seculari puniendus habeat tantum minores ordines? Resp. Affirmative. Carolus de Grassis De effect. Clericis, effectus 1. num. 839.

5. Quar. Appellatione degradationis an sit intelligendum de verbali, vel de actuali? Resp. De verbali; quia in pœnis minor est eligenda, cap. In penis. 49. De Reg. Jur. in 6.

6. Quar. Quæ sunt crimina, propter quæ intelligitur verbalis depositio? Resp. Sunt Adulterium, Concubinitus perseverans post monitionem, Simonia notoria, Siuprum, incestus, Furum, Perjurium, Homicidium, & alia, quæ inferunt Irregularitatem. Moneta De Distribut. Quotid. quast. 17. num. 6. & alii apud Barbosa dict. allegat. 110. num. 10. Novissimè Pignatellus tom. 2. consult. 91. num. 2.

7. Quar. Quæ sint delicta, quæ merentur realem degradationem? Resp. Sunt tria, Hæresis, cap. ad Abolendam, & cap. Excommunicamus, il secundo. De Hæretic. Crimen Falsi in Litteris Apostolicis commissi, cap. Ad falsarium. De Crimine falsi. Et conspiratio contra proprium Episcopum, cap. Si quis Sacerdotium. 11. quast. prima. Barbosa dict. alleg. 110. num. 11. & 12. ubi notat, præter hæc tria atrocia crimina, non esse aliud, ob quod possit deveniri ad realem degradationem.

8. Quar. An propter crimen læsæ Majestatis Clericus sit actualiter degradandus, & tradendus Curie seculari, ut puniatur? Resp. Dissidere inter se Doctores, quos cumulat ipse Barbosa ubi supra num. 13. & num. 14. ubi pariter sunt discordes circa crimen Assassinii.

9. Quar. An sint alia crimina enormia, quorum causa Clericus sit realiter degradandus, & tradendus Curie seculari? Resp. Ex Pontificiis Constitutionibus, quas refert Barbosa dict. allegat. 110. num. 18. & seqq. numerantur sequentes enormitates. Primo, Si Clericus non Sacerdos Missam celebret; vel Confessiones audiat, & absolvat. Secundo, Si exerceat crimen nefandum contra naturam. Tertio, Si causet abortum fetus animati. Quarto, Si moneras tondeat, vel falsificet. Pignatellus tom. 7. consult. 33. num. 33.

Quinto, Si Copulam Sacrilegam, & frequentem habeat cum Moniali. Pignatellus tom. 8. consult. 91. num. 7. ubi alios casus refert ibi videndos. Et Sexto, Si sollicitaverit in Confessione mulieres ad turpia, quando gravitas hujus facinoris sit excelliva; idem Barbosa alleg. 105. num. 60. & Carenas De S. Inquisit. part. 1. tit. 2. num. 13.

10. Quar. Quæ, & quot personæ intervenire debeant, dum Clericus est actualiter degradandus? Resp. De jure antiquo ad degradationem Episcopi debebant intervenire duodecim Episcopi. In degradatione Sacerdotis tres Episcopi; In degradatione Diaconi, aut Subdiaconi tres Episcopi. In degradatione Clerici in minoribus constituti solus unus Episcopus. Barbosa, qui Canones allegat dict. alleg. 110. num. 22. De jure autem novo Concilium Tridentinum sess. 13. de Reform. cap. 4. statuit, quòd pro actuali degradatione faciendâ, si supradictus Episcoporum numerus facile haberi non possit, Episcopo, vel ejus Vicario etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum mitra, & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut Diocesi reperiri, & commodè interesse possint: alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ astate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

11. Quar. An prædicti Episcopi, vel Abbates, vel alii Assistentes præter personalem interessentiam in actuali degradatione, habeant aliam facultatem? Resp. Eos habere facultatem judicandi causam, & delictum Clerici degradandi una cum ejus Episcopo, vel Vicario; & ideo interveniunt etiam tanquam Judices, cum voto decisivo in ea causa. Suarez de Censuris disp. 30. sect. 1. num. 20. Genuensis in Practicabil. Eccles. quast. 730. & Barbosa d. alleg. 110. num. 26.

12. Quar. An concordēs debeant esse omnes prædicti Assistentes in judicando? vel sufficiat eorum major pars in decernenda degradatione? Resp. Hanc esse celebrem Canonistarum questionem, in qua sunt hinc inde defensores pro utraque opinione. Verior tamen censetur illa, quæ tenet, requiri unanimum judicantium sententiam per Tex. in cap. 3. de Sentent. & re iudic. ut observat Barbosa dict. allegat. 110. numer. 28. Qui sub num. 29. declarat, eam procedere in condemnatione pro degradando Episcopo, vel Sacerdote; nam pro degradatione Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum inferiorum sufficiunt Vota majoris partis. Menochius De Arbitr. Jud. casu 222. num. 10. Barbosa ubi supra num. 29. ubi alii Doctores.

13. Quar. Qua forma, & quibus solemnitatibus fiat actualis degradatio Clericorum? Resp. Formam, & solemnitatem esse expressam in cap. 2. de Pœnis in 6. & consistit in spoliatione omnium vestium Sacrarum, quibus erat vestitus Clericus degradandus, cum verbis prolatis ab Episcopo denotantibus ablationem Clericalis potestatis; quibus omnibus exspoliatus, ac etiam veste talari, raditur in capite, & si est Sacerdos in manibus, ad terrorem tantæ condemnationis; deinde per fatel.

satellites conducitur ad carceres Curiae secularis, ut ibi in ultimo supplicio plectatur. Petit tamen Episcopus à Iudice seculari, ut misericorditer ageendo, reum degradatum citra mortis, vel mutilationis sententiam puniat, ut exactè scribit Castaldus in *Praxi Cereemoniar. lib. 2. sect. 15. cap. 9. à num. 5. & sequentibus*, ubi describit talamum ligneum eminentem, qui debet construi extra Ecclesiam, super quo Episcopus cum Assistentibus sedet; & ibidem ponitur mensa cum vestibus, & instrumentis ordinum, quibus Reus vestitur, deinde exiit coram populo; ut supra dictum est.

14. *Quar.* An habeatur in Historiis aliquod exemplum de actuali degradatione Presbyterorum? *Resp.* Affirmativè; & illud præcipue, quod legitur in vita Sancti Caroli Borromæi, Auctore Joanne Petro Giussano *lib. 7. cap. 4.* ubi narrat degradationem Præpositi Rovereti in Valle Mesolcina (quæ est DD. Grisonum) anno 1583, ubi celeberrimus Jurisconsultus Franciscus Bursatus in Inquisitione generali reperit eundem Præpositum reum execrabilium enormitatum, & quia obdurato corde respuit poenitentiam, & emendationem, processit Sanctus Archiepiscopus ad illius degradationem, quam jugibus lacrymis executus fuit.

15. *Quar.* An Prælati Regulares possint degradare suos subditos delinquentes? *Resp.* Ne-

gativè, nisi obtinerent specialem facultatem ab Apostolica Sede. Sylvester *Verb. Degradatio. 1. Barbos. dist. allegat. 110. num. 25.* Et hoc est, quod docent Canonistæ; videlicet Episcopum cognoscere in omnibus criminibus actuale degradationem requirentibus etiam contra exemptos. Joan. de Lignano in *cap. Ne in agro. De Statu Monach. Abb. in cap. Cum contingat. De foro competen. & alii, quos refert Cochier. De Jurisdic. Ordin. in exempt. part. 2. quest. 45. num. 98.*

16. *Quar.* An Clerici condemnati ad Triremes in Tribunali Sancti Officii live in perpetuum, live ad tempus, sint prius actualiter degradandi? *Resp.* Negativè; & hoc attendit consuetudine, corroborata à pluribus decretis, & declarationibus Congregationis ejusdem Sancti Officii, relatis à Pignatello *dist. tom. 8. consil. 91. num. 4. & 5.* Nisi Clericus esset damnatus propter hæresim ex Textu in *cap. 1. ubi Gloss. & DD. De Hæres. in 6.*

17. *Quar.* Quis possit restituere in integrum Clericos realiter degradatos? *Resp.* Solum Papam posse. In verbali autem degradatione etiam Episcopum posse restituere, si degradatio fuit ob delicta non graviora Adulterio. *cap. At si Clerici. 1. De Adulteris, ubi DD. de Judiciis.* Graviora autem adulterio dicuntur Hæresis, Simonia, & Homicidium. Pignatellus *dist. tom. 8. consil. 91. num. 16.*



PROPOSITIONES DAMNATÆ AB ALEXANDRO VII.

Pontifice Maxmio,

Feria V. die 24. Septembris Anno 1665.

Primò. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestris ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Coenæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacre Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurfa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, & proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si Sollicitatus confiteatur cum Sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani Octavi.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem,